

scribendo adhibendum videatur, sed praecipuas quasdam, et moribus nostris, si quid hoc in genere video, maxime accommodatas. Quod quidem argumentum, neque sollemnitati noui muneris adeundi alienum, neque honorifica tot litteratissimorum virorum praesentia indignum, neque ab vtilitatibus horum lectissimorum iuuenum, qui in spem parentum, propinquorum patriaeque in litterarum studia incumbunt, et in primis adprehendendae iuris disciplinae operam dant, rationibusque remotum, vt mihi, breui oratiuncula non tam plene persequenti, quam leuiter modo delibanti, beniuolas aures mentesque praebentis, a Vobis, Rector Academiae Magnifice, Auditores omnium ordinum atque dignitatum Spectatissimi, Commilitones Generosissimi atque Humanissimi, non quidem multis ambrosiosisque precibus contendendo, sed potius a Vestro fauore, Vestraque humanitate ac beniuolentia certissime spero atque confido.

Humanior iurisprudencia quae sit, ac iure habeatur, Auditores, profecto non esse puto, quod multis declararem. Vnus enim quisque, vel audito nomine, iam sua sponte satis intelligit, eam artis nostrae tractandae colendaeque querationem indicari, quae cum artibus liberalibus, ac disciplinis, quae ad vniuersum politioris humanitatis ambitum pertinent, vinculo indissolubili arctissime nexa sit at-

B 2

que